

dro sexto, etiam prædecessore nostro, Ariminum, Faventiam et Sarsinam, urbes sanctæ romanæ Ecclesiæ illarumque arces, oppida et omnem districtum multaque cæsanatensis, forlivenensis et imolensis districtum oppida, temeritate propria invaserunt atque occuparunt. Et quamvis nobis, hujusmodi occupatione egre ferentibus et graviter conquerentibus, nostri pontificatus initio, aliqua ex dictis oppidis postmodum restituerint, hoc ipso evidenter satis confessi, injuste se omnia detinere, cum maxime nulla retinendi urbes aliaque loca ratio subesset aut exco-gitari posset; ipsi tamen duro corde civitates prædictas et reliqua perperam et impudenter retinere minimeque relaxare voluerunt, imo a tempore occupationis et citra detinuerunt et detinent de præsentī. Quos, licet per processum, qui singulis annis in die Cœnæ Domini, ex more romanorum pontificum, legi consuevit, tanquam occupatores et detentores prædictarum civitatum et locorum romanæ Ecclesiæ excommunicatos et anathematizatos declarare et ab omnibus evitandos decernere hactenus potuissemus, tamen cum paterna pietate ducem et reliquos prædictos, cum in minoribus ageremus, et nunc ad apicem apostolatus evecti, in visceribus caritatis semper complexi fuerimus, curavimus omni studio et diligentia, ut ad cor redeuntes, nobis et matri suæ sanctæ romanæ Ecclesiæ obedientes, se præstarent, animarum suarum saluti, occupata restituendo consulere, et hujus sanctæ sedis, quæ illis semper usui fuit et honori, auctoritatem cum debita reverentia agnoscerent. Proinde per venerabile fratrem Angelum, episcopum tiburtinum, nostræ et apostolicæ sedis nuntium apud eos agentem, in zelo caritatis præfatos ducem et consiliarios moneri et requiri fecimus, ut occupata per illos, quæ ad romanam Ecclesiam spectabant, videlicet Ariminum et Faventiam, Sarsinam, cum districtibus suis, castellis et oppidis illis adjacentibus, ac alia oppida, arces et terras forlivenensis, cæsanatensis et imolensis territorii nobis et romanæ Ecclesiæ restituerent, nihilque novi operis, aut muniendi aut reparandi pretextu aut alio quovis colore, in eis fabricarent, protestati fuimus. Pro qua etiam restitutione facienda, carissimus in Christo filius noster Maximilianus, tunc romanorum rex, tanquam sanctæ romanæ Ecclesiæ advocatus, per proprios et speciales oratores suos eosdem venetos magna cum instantia tunc requisivit et interpellavit. Qui cum occupandum faciles, ad relaxandum vero admodum difficiles existant, monitionibus nostris et regis prædicti requisitionibus satisfacere neglexerunt, dictas civitates et loca novis propugnaculis et armo-

rum apparatus muniendo. Et insuper cum, biennio jam elapso, Deo favente, cum maximis laboribus et expensis, civitatem nostram bononiensem a tyrannide Bentivolorum liberavissemus, et contra eodem Bentivolos eorumque complices et rebelles nostros, quoniam, mala malis accumulando, apertius in rebellionem adversus nos et romanam Ecclesiam in dies variis machinationibus se armabant, excommunicationis sententiam contra singulos ex eis receptoresque eorum, et interdicti contra universitates et loca, ad quæ eos declinare contingeret, per litteras nostras protulissemus, nihilominus Antonius, Galeanus, Hannibal et Hermes Bentivoli, eorumque servitores et complices, in terris ab ipsis venetis detentis, videlicet paduanæ, cremonensis, et ad excitandam magis populi bononiensis rebellionem, in Faventia, civitate Bononiæ propinqua, et Venetiis etiam recepti fuerunt, et pro libito eorum ad dicta loca admittuntur, in maximum nostrum et romanæ Ecclesiæ et apostolicarum censurarum contemptum. Ex quo dictorum rebellium nostrorum receptatores et loca omnia predicta excommunicationis in singulos et interdicti in universitates et loca censuras, juxta formam litterarum nostrarum prædictarum inciderunt, et pro talibus haberi et publicari debuissent. Nobis patienter hoc ferentibus, ipsorum Venetorum inobedientia in nullo remittitur, sed in dies magis augeatur, ita ut ecclesiasticæ ultionis severitatem exposcere manifeste videant. Magna sunt hæc et in oculis omnium notoria ac mucione severitatis apostolicæ resecanda. Verum longe majus est, quod dux, rogati, consilarii, senatus populusque venetus, omnium ex parte, religionem christianam factis ita abnegare audent, ut sedis apostolicæ inobedientia in illis nulla penitus vigeat; ecclesiarum cathedralium, monasteriorum dignitatum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum provisiones a sede prædicta factas impudenter impediunt; nec possessionem illorum, nisi ex arbitrio suo, cuiquam dari permittant; confugientes, pro justitia consequenda, ad hac sedem apostolicam, quæ refugium est oppressorum, quasi reos maximi criminis puniant; neque in dicta civitate, aut terris illis subiectis, clericis præcipue et personis ecclesiasticis, justiciam, nisi pro libito voluntatis eorum, ministrari patiantur; nulla rescripta aut litteras apostolicas, nisi ipsis annuentibus, executioni mandari permittunt; clerum et ecclesiasticas personas et pia loca gravissimis impositionibus, decimis atque oneribus usque ad sanguinem excoreant; prælatos, clericos et religiosos, nulla ordinis, dignitatis aut religionis habita ratione, in exilium et nonnunquam in carcere

89a

89a*